

## DE CONTRAHENDA ET COMMITTENDA STIPULATIONE.

### 8.38.1

*Imp. Severus et Antoninus AA. Secundo.*

Licet epistulae, quam libello inseruisti, additum non sit stipulatum esse eum cui cavebatur, tamen si res inter praesentes gesta est, credendum est praecedente stipulatione vocem spondentis secutam.

*Accepta XVII k. Mai. Severo III et Victorino consss.*

[a. 200]

### 8.38.2

*Idem AA. Diocleti.*

Si filiae tuae, quam in potestate habebas, pecuniam dari stipulatus es, paratam obligationem exercere non prohiberis.

*PP. prid. non. Nov. Faustino et Rufino consss.*

[a. 210]

### 8.38.3

*Imp. Antoninus A. Hadriano.*

*Si, cum tuam pecuniam crederes accommodato nomine Iuliani, stipulatio in personam eius absentis directa est, cum nihil sit actum ea verborum concentione, intellegis superfuisse tibi rei contractae obligationem.*

*1 ¶ Ac propterea si pecuniam a debitore tuo Iulianus exegit eamque solutionem ratam habuisti, habes adversus eum negotiorum gestorum actionem.*

*PP. VI k. Mart. Praesente et Extricato consss.*

[a. 217]

### 8.38.4

*Imp. Alexander A. Sabinae.*

Secundum responsum Domitii Ulpiani praefecti annonae iuris consulti amici mei ea, quae stipulata est, cum moreretur, partem dimidiad dotis cui velit relinquere, reddi sibi, cum moreretur, eam partem dotis stipulata videtur.

*PP. II k. April. Alexandro A. cons.*

[a. 222]